

130. *Obligatio naturalis duplex est: efficax, et inefficax.* — Urgebis: Juxta nos ipsos testamentum minus solemne parit obligationem naturalem, quæ in conscientia obligat: ergo etiam post sententiam judicis valebit. Resp. distinguendo anteced.: parit obligationem naturalem efficacem, negatur: inefficacem, et quæ per exceptionem legis elidi potest, uti in casu minus solemnis electionis, et alienationis rerum ecclesiasticarum, conceditur antecedens, et negatur consequentia. Est enim duplex obligatio naturalis, efficax nempe, et inefficax, sive quæ per exceptionem elidi potest, ut cum aliis in *Theologia nostra morali*, tract. VIII. dist. 3. n. 18. docuimus.

131. *Corollarium.* — Et ex hactenus dictis sit sequens corollarium: videlicet, quod testamentum sine debitis solemnitatibus factum, ante sententiam judicis, et quando nemo se opponit, pro foro interno in tantum valeat, ut hæredes, et legatarii in eo instituti, tuta conscientia accipere et retinere valeant hæreditatem, vel legata sibi in tali testamento relicta: post sententiam vero etiam in foro interno sit nullum, adeo, ut tuta conscientia accipere nil possint, et acceptum restituere teneantur.

132. *Et doctrina practica.* — Infertur, quod ex testamento minus solemniter hæres, et legatarii hæreditatem, et legatarii legata accipere, et retinere valeant. I. Si vel hæredes ab intestato ipsimet fateantur defuncti voluntatem. II. Si hæres, vel legatarius ipsemet interfuit, et audivit, consequenter certo scit defuncti voluntatem. III. Si defuncti voluntatem a duobus saltem testibus perceperunt. Nec tenentur hæredibus ab intestato manifestare, quod testamentum careat solemnitate; etsi hæredes ab intestato id invincibiliter ignorent, uti cum aliis bene observat Menochius, *de Præsumpt.* Præsumpt. 80. E contra hæredes ab intestato videntes testamentum carere solemnitate debita, nec hæreditatem, nec legata profana tradere tenentur institutis hæredibus, vel legatariis: sed, si ipsimet non audierunt defuncti voluntatem, beneficio legis uti, ac excipere possunt dicendo: Amice! nihil tibi debemus; quia testamentum invalidum est: possuntque tutissima conscientia impugnare; etsi unica tantum solemnitas, v. g. sigillatio unius testis desit; licet cæteroquin omnes testes jurato deponant de voluntate defuncti, ut cum aliis bene observat Lay-

man, lib. I. tract. IV. cap. xvii. n. 3. Imo hæredes vel legatarii instituti, hæreditatem, vel legata jam excepta restituere tenentur, postquam judex testamentum nullum declaravit.

133. *Solemnitas de jure canonico requisita, quæ? Jus civile est servandum etiam in foro canonico, ubi expresse a canone non est correctum.* — Quæritur II. Quænam solemnitates de jure canonico requirantur in testamento ad causam profanam? Resp. Hoc jure plus non requiri, quam ut adsint duo testes idonei, et parochus loci. Ita expresse statuitur in c. *Cum esses*. 10. h. t. Fagnanus, cit. c. *Cum esses*. intelliguntur autem per testes idoneos, non tantum illi, qui a testimonio ferendo absolute repelluntur; uti sunt amens, infantes, etc. sed etiam qui a jure civili in causa testamenti testes esse non possunt, quales sunt impuberes, servi, mulier, hæres, etc. ut contra Ancharanum in c. *Cum esses*. h. t. n. 6. et alios bene docet Fagnanus, loc. cit. n. 36. Ratio est, quia ubicunque dispositio juris civilis non reperitur expresse immutata, vel correcta a jure canonico, debet jus civile etiam in foro canonico et Ecclesie servari, ut cum communi aliorum ipse habet Ancharanus, in c. *Canonum statuta de Constit.*; Joan. Andreas, in c. *Cum esses*. h. t. n. 5. et ibi Abbas, n. 6. arg. c. 1. *De novi operis nunt.* consequenter cum jus canonicum tantum quoad numerum testium expresse aliud statuerit cit. c. *Cum esses*. h. t. reliqua solemnitas a jure civili ad tale testamentum requisita, etiam in foro canonico observari debet, ut proin testes de jure canonico etiam debeant esse rogati, prout ulterius contra Ancharanum, in c. *Cum esses*. h. t. n. 6. bene observat Fagnanus, loc. cit. n. 17.

134. *Solemnitas canonica eodem modo est de substantia testamenti, quo solemnitas civilis.* — Ob eandem juris rationem, videlicet, quod, ubi in jure canonico non reperitur expresse contraria dispositio, jus civile etiam in foro canonico observari debeat. Ad quæstionem, an solemnitates juris canonici sint de substantia, vel forma probatoria tantum in foro canonico? Respondetur eo modo, quo supra §§ 4 et 5. de necessitate solemnitatis civilis responsum est videlicet, quod in foro externo sint de substantia, nisi hæres ab intestato ipsemet audiverit, et fateatur defuncti voluntatem; ut proin invalidum sit testamentum etiam in foro canonico, cui non interfuit parochus, vel ibi testes non fuere ro-

gati, aut non debite idonei, licet alias per duos vel tres testes satis constet de voluntate testatoris. In foro interno autem valeat testamentum ante sententiam judicis, non ita post illam, juxta modum supra allegatum.

135. *Unumquodque jus quoad solemnitatem est servandum in suo foro.* — Quæritur III. Quid juris ergo circa numerum testium? estne observanda circa hunc dispositio juris civilis septem testes requirentis, an vero dispositio juris canonici duos tantum testes cum parochio præscribens? Respondetur unumquodque jus esse servandum in suo foro; ita ut in terris Romano imperio subjectis tam in foro ecclesiastico, quam civili fieri, et judicari debeat testamentum secundum solemnitatem civilem: in terris vero temporali jurisdictioni Romani Pontificis subjectis, secundum solemnitatem canonicam, c. *Cum esses*. h. t. præscriptam. Glossa, in cit. c. *Cum esses*. §. *Improbamus*. Alexander, consil. 146. n. 6, lib. II. et consil. 47. n. 2. dicens hanc esse communem; Baldus, Parisius, et communis aliorum apud Fagnanum, in c. *Cum esses*. n. 46. Estque opinio consuetudine recepta, sicque confirmata, consequenter tenenda. Ratio est, quia ut cum communi diximus in proemio n. 217. si manifesta sit contrarietas inter jus canonicum, et civile, eaque versetur circa causam profanam, quodlibet jus in suo foro servandum est; hoc autem fit in proposito casu: ergo. Accedit, quod c. *Cum esses*. h. t. inscribatur Hostiensi episcopo, civitas autem Hostiensis est de temporali jurisdictione Pontificis: ergo. Et hæc de solemnitatibus testamentorum non privilegiatorum, atque ad causas profanas. (ADNOTATIO XXX.)

§ VI.

DE TESTAMENTIS PRIVILEGIATIS AD PIAS CAUSAS.

Visis testamentis solemnibus, seu non privilegiatis, et solemnitatibus ad ea requisitis, videndum modo de testamentis non solemnibus seu privilegiatis, inter quæ quia frequentissimum est testamentum ad pias causas, ideo de eo ante reliqua in præsentis paragrapho agimus. De hoc igitur

136. *Testamentum ad causam piam est, ubi causa pia est hæres.* — Quæritur I. Quid, et an privilegiatum sit testamentum ad causas

pias? Resp. I. Testamentum ad causas pias est, in quo pro hærede instituta est causa pia. Communis ac certa. Ratio est, quia forma essentialis dat esse rei: hæc autem in testamento est hæredis institutio juxta dicta supra n. 3; consequenter, an aliquod testamentum ad causas pias sit, ab hæredis institutione, sive ab hærede instituto desumendum erit, ita ut testamentum, in quo hæres est causa profana, dicatur testamentum ad causam profanam; etsi etiam contineat aliqua legata ad causas pias: e contra ubi hæres est causa pia, testamentum ad causam piam nominetur, licet aliqua legata ad causas profanas immixta habeat.

137. *Causæ piæ nomine quid veniat?* — Nomine autem causæ piæ hic veniunt omnia loca ac instituta pia, qualia sunt Ecclesie, monasteria, hospitalia, nosocomia, confraternitates, item pauperes omnes non tantum, qui carent necessariis vitæ et naturæ, sed etiam qui necessaria vitæ habentes egent necessariis ad decentem sustentationem juxta qualitatem et conditionem status, ut cum communi supra, tit. præced. *de Peculio cleric.* n. 66. jam diximus. Dummodo eisdem principaliter ob honorem Dei, et animæ salutem hæreditas vel legata relinquatur, uti post Glossam bene advertit Abbas, in *Rubric.* h. t. n. 9. arg. c. *Requisivisti*. 15. eod. Hinc omnino consultum est, ut si quis alicui pauperi, præsertim consanguineo hæreditatem, vel legatum relinquat, coram testibus vel in scriptura exprimat, quod eum tanquam pauperem pro hærede instituat, et legatum ei relinquat, ne alias testamentum, vel dispositio ad causam profanam reputetur, sicque ob defectum solemnitatis in foro externo rejiciatur, casu quo dubitatur, an institutus hæres revera sit pauper, vel an ei ob honorem Dei, et animæ suæ salutem, vel potius ex alio motivo profano hæreditas aut legatum sit relictum.

138. *Testamentum ad pias causas est in utroque fore privilegiatum.* — Resp. II. Testamentum ad causas pias perfecte, et pro utroque foro est privilegiatum, ita ut non tantum in foro interno, sed etiam externo, valeat, etsi careat solemnitatibus a jure civili alias ad testamentum requisitis; dummodo aliunde sufficienter constet de testatoris ultima voluntate. Fagnanus, in c. *Cum esses*. h. t. n. 11. et ibi Abbas, et egregie Bart., in l. *Habeat*. a. n. 70. c. *de Sanctis Eccles.*; Jul. Clarus, § *Testamentum*. q. 6. n. 1; Co-

varruvias, cap. xi. *de Testam.* n. 1; Pirhing, h. t. n. 19; Engel, eod. et hodie *ferme omnes tam civilistæ, quam canonistæ, ac theologi*, ita ut hæc conclusio hoc tempore sit extra controversiam. Probatur autem principaliter ex c. *Relatum.* 11. h. t. ubi expresse statuitur, quod testamentum ad pias causas coram duobus testibus factum valeat, et quod « cum aliqua talis causa, » simile nempe testamentum aut dispositio ad causas pias (dictio enim « talis » est restrictiva ad similia, et dissimilium exclusiva, ut post Baldum bene observat Fagnanus, in cit. c. *Relatum.* n. 4.) « ad examen » iudicis nempe externum fuerit, ea « non secundum leges, sed secundum decretorum, » id est canonum statuta tractetur.

139. *Probatur ratione.* — Ratio conclusionis est; quia in causa et materia spirituali, qualis est testamentum, ac aliæ dispositiones ultimæ ad causas pias, servandum est jus canonicum in utroque foro tam civili, quam ecclesiastico, ac in quovis loco seu territorio, arg. c. *Quæ in Ecclesiarum.* 7. et c. *Ecclesia S. Marie.* 10. *de Constit.* juncto can. *Cuncta per mundum.* cau. 9. q. 3. atque amplius dictum est in proœmio n. 217.

140. *Et universali consuetudine.* — Confirmatur, praxis, et consuetudo universalis ubique recepta habet, quod testamenta, et dispositiones ad causas pias in utroque foro iudicentur juxta canones, « consuetudo autem est optima legum interpretis, » l. XXXVII. et XXXVIII. ff. *de Legib.* ergo iudicare debemus quod c. *Relatum.* 11. pro utroque foro, civili nempe et canonico sit positum, et consequenter in utroque foro servandum.

141. *Solvitur objectio ex jure. Exceptio unius format regulam in contrarium.* — Dices l. *Generali lege.* 43. c. *de Sanctis Ecclesiis*, aperte statuitur, quod testamentum etiam ad pias causas non subsistat, nisi debitas solemnitates juris habeat: ergo saltem pro foro civili non est privilegiatum testamentum ad causas pias. Confirmatur l. *Hac consultissima.* c. h. t. Omne testamentum solemnitate civili carens est nullum et irritum: ergo etiam testamentum ad pias causas, eo ipso, quod lex generaliter loquens, generaliter sit intelligenda, c. *Quia circa.* 22. *de Privileg.* et l. *de Pretio.* ff. *de Publiciana in rem act.* Accedit, quod licet leges civiles aliqua testamenta in specie, ut testamentum militis ac inter liberos, a solemnitate excipiant, de testamento tamen ad pias causas

taceant, consequenter in lege universali includant: cum « exceptio unius firmet regulam in contrarium in casibus non exceptis, » l. *In iis quæ.* ff. *de Legibus*: ergo pro foro civili testamentum ad pias causas non est privilegiatum. Resp. transmittendo, quod testamentum ad causas pias non sit privilegiatum de jure civili; negando vero, quod non sit privilegiatum de jure canonico. Sufficit autem, ut per jus canonicum sit privilegiatum, ad hoc, ut dicatur pro utroque foro privilegiatum, ac in utroque foro obligare, eo quod testamentum hoc contineat causam piam, quæ juxta dicta non secundum leges civiles, sed secundum canones in utroque foro tractari et judicari debet. Hinc doctores communiter fatentur, leges civiles solemnitate in testamento ad causas pias requirentes, esse correctas a jure canonico per c. *Relatum.* 11. h. t. ut proin licet testamentum ad causas pias non sit privilegiatum per jus civile, sit tamen privilegiatum pro foro civili a jure canonico, in materia spirituali pro utroque foro, obligante.

142. *Etiam de jure civili videtur testamentum esse privilegiatum ad causas pias.* — Dixi in responsione notanter; « transeat, » quia, quod etiam de ipso jure civili privilegiatum sit testamentum ad causas pias, non obscure desumitur ex l. XXXVIII. ff. *de Fideicommiss. libert.* ubi licet pater in imperfecto testamento libertatem cuidam reliquerat, eam nihilominus manumittere debuerint filii: et l. *I. c. de Sanctis Ecclesiis*; sicut et ex generali illa regula ac principio, quod a milite, et liberis, nec non a quacunque causa favorabili bona sit argumentatio ad Ecclesiam, et causas pias, uti advertit Engel, h. t. n. 8. et plurimis aliis congestis; Menochius, lib. III. consil. 224, n. 62, consequenter cum testamentum inter liberos de jure civili sit privilegiatum. l. *Hac consultissima,* c. h. t. de eodem jure privilegiatum quoque erit testamentum ad causas pias.

143. *In testamento ad pias causas requiruntur duo testes legitimi, casu quo aliunde non constat de voluntate testatoris.* — Quæritur II. An, et qualis ergo de jure canonico requiratur solemnitas in testamentis ad causas pias? Resp. I. De jure canonico in testamentis ad causas pias plus non requiritur, quam ut adsint saltem duo testes legitimi, ita tamen, ut duo testes non sint necessarii ad substantiam et valorem testamenti ad causas pias, sed tantum ad probationem in casu, quo

anunde non constat, nec probari potest voluntas testatoris, nisi per testes; ut proin, si aliunde de voluntate testatoris sufficienter constet, testamentum ad causas pias in utroque foro tam interno, quam externo, civili et canonico, etiam sine testibus validum existat, dummodo adsint ea, quæ requiruntur de jure naturæ et gentium. Covarruvias, *de Testament.* cap. xi. n. 12; Fagnanus, in c. *Cum esses.* h. t. n. 8; Menochius, lib. III. consil. 224, a. n. 58; peregre Pirhing, h. t. n. 20; Engel, eod. n. 18; Tiraquell., in tract. *de Causa pia.* 2. *Privileg.*; Layman, lib. III, tract. V, cap. II, n. 3; Lessius, et communis aliorum, contra plures citatos a Menochio, lib. III. consil. 224. Prima pars conclusionis, videlicet, quod duo requirantur testes, aperte statuit c. *Relatum.* 11. h. t. ibi: « Mandamus, quatenus cum aliqua talis causa (testamentum nempe ad causas pias) ad vestrum examen fuerit deducta, eam non secundum leges, sed secundum decretorum statuta tractetis, tribus aut duobus legitimis testibus requisitis. »

144. *Duo testes non sunt de substantia testamenti ad pias causas.* — Secunda pars, quod scilicet duo testes non sint de substantia, probatur ex eo, quia imprimis in testamentis ad causas pias solemnitas legum civilium non attenditur, juxta dicta n. præced. et n. 139. Dein in jure canonico nullibi reperitur decretum irritans testamenta ad causas pias sine testibus facta; prout tamen circa alios contractus reperitur, quando testes requiruntur ad substantiam, uti de contractu matrimoniali constat ex concilio Trident. sess. 24. *de Reform.* cap. 1.

145. *Testamentum ad pias causas est æque privilegiatum, ac testamentum inter liberos.* — Confirmatur: valet testamentum patris factum inter liberos sine omni teste, si aliunde ex manu nempe propria testatoris constet de voluntate testatoris l. *Hac consultissima.* 21. c. h. t. et Authent. sequenti, magisque patebit § sequent. ergo etiam testamentum factum ad pias causas; cum hoc, si non magis, saltem æque privilegiatum sit ac testamentum inter liberos, ut habet communissima doctorum apud Menochium, lib. III. consil. 224. n. 64. Accedit, quod constitutio c. *Relatum.* 11. h. t. in favorem causæ piæ facta, sit favorabilis, nam « summa est ratio, quæ pro religione facit, » l. *Sunt personæ.* 43. ff. *de Religios. et sumptib. fun.* consequenter amplianda; cum « odia restringi, et favores

conveniat ampliari. » Reg. 15. jur. in 6. atque magis favorabile causæ piæ, si dicatur in testamento ad causas pias testes non requiri de substantia: ergo.

146. *Debent in eo adesse saltem ea, quæ requiruntur de jure naturæ.* — Dicitur autem notanter in conclusione: « Dummodo adsint ea, quæ de jure naturæ et gentium requiruntur ad testamentum: » videlicet libera voluntas testandi, et capacitas testatoris, ut scilicet habeat sufficientem rationem, ac intellectum; quia, si horum aliquid desit, testamentum etiam ad pias causas invalidum esse, omnes fatentur. An autem ad valorem testamenti pii requiratur etiam testandi potestas civilis, ita ut nullum sit testamentum ad causas pias factum ab iis, qui de jure civili nequeunt testari, quales sunt prodigi, damnati ad mortem, deportati, impuberes, etc., dicemus infra § 10. agendo de iis, qui testari possint.

147. *Testamentum ad causam piam valet, quando sine omni teste adest manus propria testatoris: vel hæres ab intestato ipsemet audivit defuncti voluntatem.* — Interea ex prædictis duabus conclusionibus inferitur I. pro praxi, validum esse testamentum ad causas pias non tantum illud, quod coram duobus testibus, sed etiam quod absente quovis teste fit, si aliunde sufficienter constat de voluntate testatoris: v. g. si reperitur testamentum manu testatoris scriptum, vel saltem ejusdem manu propria subscriptum, prout cum communissima aliorum bene observat Fagnanus, in cit. c. *Relatum.* 11. h. t. n. 9; Menochius, loc. cit.; Pirhing, et alii n. 143. citati. Item si ipse hæres ab intestato sine omni teste audivit defuncti voluntatem: hoc enim in casu omnino tenetur in foro interno adimplere defuncti voluntatem; imo etiam in foro interno, si fatetur se eam audivisse: si negat, offerri ei potest juramentum, juxta dicta supra.

148. *Vel si hæres prius, v. g. pauper solus audivit defuncti voluntatem: loquendo de foro interno.* — Inferitur II. Quod valeat etiam pro foro saltem interno, ad hoc ut accipi, et retineri valeat relicta hæreditas, vel legatum si hæres pius, pauper v. g. ipsemet interfuit et audivit defuncti voluntatem; licet nec scriptura, nec testibus id probare valeat. Quæ doctrina servit valde in casu, quo hærus, vel domina cuidam fideli et paupercula famulæ, vel famulo tanquam pauperi in senectute, absentibus aliis, aliquid legat; dicendo

v. g. post mortem meam accipe in hoc vel illo loco, has vel illas pecunias, vel aliam rem, quam tibi tanquam pauperulo lego; potest enim in secreto accipere, et retinere, loquendo de foro interno, et si nemo se opponens (secus foret de foro externo, vel si hæres ab intestato se opponat). Ratio autem eadem, quæ prior est, quia de jure naturæ sufficit ad transferendum dominium, ut ille in quem transfertur dominium revera sciat voluntatem transferentis, eamque acceptet: sicut a pari ad hoc, ut quis rem donatam tuta conscientia accipere, ac retinere valeat, sufficit, ut donatarius sciat voluntatem donantis, eamque acceptet; licet in foro externo conventus, eam per duos saltem testes probare, vel non probans, rem donatam hæredibus ab intestato relinquere, aut jam acceptam restituere deberet.

149. *Doctrina practica ad propositum.* — Ex eadem ratione inferitur III. Quod, si testator alicui etiam soli in secreto committat, ut post mortem suam, accipiat existentes in certo loco pecunias, easque pauperibus, vel aliis causis piis distribuat, vel pro anima defuncti Missas legi faciat, possit talis commissaria persona (loquendo de foro interno) tales pecunias accipere, ac juxta intentionem datam ad causas piis applicare: licet in foro externo ei non crederetur, neque in foro interno credere eidem teneretur hæres ab intestato, sed executionem impedire; vel etiam ad restitutionem compellere tuta conscientia posset, casu quo resciret, quod aut vellet ita distribuere, aut jam distribuisset deputata persona.

150. *Valet etiam solo nutu ad interrogationem alterius factum.* — Inferitur IV. Quod, licet testamentum ad interrogationem alterius, solo nutu factum non valeat de jure civili, l. *Jubenus.* c. h. t. et diximus supra num. 63. valeat tamen ad causas piis; Layman, loc. cit. Menochius, loc. cit. n. 64; Tiraquell., in tract. de *Privileg. causæ piæ.* privileg. 8; Jul. Clarus, § *Testamentum* quæst. 6. num. 7. citans communem; Abbas, in *Rubric.* h. t. n. 9. et communis aliorum. Ratio est, quia nutu testari non est prohibitum jure naturæ vel gentium, sed a lege civili, quæ in testamentis ad causas piis non attenditur.

151. *Ac etiam, si incertus hæres instituitur, seu alterius arbitrio committitur.* — Inferitur V. Quod, quia solo jure civili, non item naturali invalida est dispositio, qua quis

hæredem incertum instituit, vel hæreditatem aut legata alterius arbitrio distribuenda committit, juxta dicenda infra § 13. de *Hæredibus et institutione eorum*, tamen valeat ad causas piis in utroque foro, ut proin legitima sit dispositio, si quis manu propria scribat, vel coram duobus legitimis testibus dicat: Pro hærede instituo Deum, et causas piis: vel præcise causas piis, vel pauperes illos quos elegerit, vel quibus hæreditatem meam dare voluerit hic vel ille meus executor, vel bonus amicus, etc., vel illos, qui venerint in civitatem. Item valet, si dicat: Instituo animam meam pro hærede; quia censetur velle, ut pro animæ salute hæreditas ipsius relicta ad piis causas applicetur. Pariter valet, si dicit: Instituo pro hæredibus animas in purgatorio; velle enim censetur, ut pro hæreditate relicta legantur Missæ applicandæ pro animabus in purgatorio, Jul. Clarus, § *Testamentum.* q. 6. n. 5; Molina, disp. 134. n. 3. et ult.; Layman, loc. cit. n. 7; Abbas, consil. 32. n. 3; lib. II. Covarruvias, de *Testam.* in c. *Cum tibi.* n. 12; Pirhing, h. t. n. 23. et communis aliorum, qui etiam valere dicunt testamentum ad causas piis, si testator præcise dicat: Omnia bona mea dispositioni Tuii committo: seu juxta arbitrium Caii distribuenda relinquo. arg. c. *Cum tibi.* 13. h. t. quia licet in tali testamento causa pia nec in communi exprimat, censetur tamen tacite velle testari ad causas piis, ita ut commissarius deputatus teneatur omnia erogare in causas piis. Ratio ulterior est, quia cum ultima voluntas in dubio semper ita intelligi debeat, ut potius valeat, quam non arg. c. *Abbate.* 25. de *Verb. signif.* et l. *Quoties.* 12. ff. de *Rebus. dub.* Testamentum autem ita factum non valeat ad causas profanas, interpretari debemus, mentem testatoris fuisse ad causam piam testari, quod ipsum notat Summarium cit. c. *Cum tibi.* et egregie pertractat Covarruvias, cap. XVIII. de *Testam.*

152. *Si aliunde non constat de voluntate testatoris, necessarii requiruntur duo testes. Unus testis, nullus testis.* — Resp. II. Quando per scripturam propriam testatoris, vel aliunde de voluntate testatoris sufficienter non constat, tunc in testamento ad piis causas necessario requiruntur duo testes legitimi juxta canones, adeo ut nec in foro interno hæres ab intestato credere teneatur uni testi, licet omni exceptione majori, testimonium suum etiam juramento confir-

manti, Layman, lib. III. tract. V. c. 2. n. 4. et communis aliorum. Patetque tum ex c. *Relatum.* 11. h. t. ubi duo saltem vel tres testes ad valorem testamenti requiruntur (intellige, si non aliunde quam per testes de voluntate testatoris constat); tum ex illa universali juris regula, quod unus testis ad probandum non sufficiat, c. *Licet universis.* 23. de *Testib.* et amplius dictum est lib. II. tit. XX. de *Testibus.* 5. 8. Hinc illud vulgare verum dictum, «Unus testis, nullus testis:» et quod cum suo, vel alterius præjudicio nullus teneatur credere uni soli, etiam omni exceptione majori.

153. *Doctrina practica pro confessariis.* — Inferitur, improprie, ac periculose agere, tam testatorem, qui uni soli, v. g. confessario manifestat, quam ipsum confessarium, qui suscipit voluntatem ultimam referendam hæredibus ab intestato; hoc ipso enim, quod uni soli, quisquis ille sit, credere non teneantur hæredes ab intestato, dispositio talis ultima periculo nullitatis semper exponitur. Hinc, vel ipsi hæredi ab intestato communicet dispositionem ad piis causam; vel quod melius est, manu propria scribat, aut duos testes adhibeat testator.

154. *Testes in testamento pio non necessario debent esse rogati.* — Non tamen est necesse, ut testes sint rogati. Jul. Clarus, loc. cit. num. 3. citans communem; Covarruvias, cap. XI. de *Testam.* num. 5; Bartolus et Baldus, Pirhing, h. t. num. 21. Abbas, in c. *Relatum.* eod. n. 3; Fagnanus, in idem c. num. 12. et communis aliorum. Ratio jam sæpe dicta est, quia nempe solo jure civili, quod in his testamentis non attenditur, non vero jure naturæ et gentium, vel canonico ad probandum requiruntur rogati testes. Nec obstat, quod c. *Relatum.* 11. h. t. dicat «coram duobus testibus requisitis,» quia hoc non ita intelligendum est, quasi testes deberent esse rogati a testatore; sed quia «requiruntur» ad probationem, si aliæ probationes deficient.

155. *Potest etiam mulier esse testis.* — Ob eandem rationem etiam mulier potest esse testis in testamento ad piis causas Covarruvias, loc. cit. n. 7. citans communem; Pirhing, loc. cit.; Clarus, loc. cit. n. 4; Abbas, loc. cit.; Fagnanus, in c. *Cum esses.* 10. h. t. n. 35. et communissima aliorum. Accedit, quod mulier in quavis causa civili (qualis etiam est testamentum) possit esse testis de jure canonico; et solum per jus ci-

vile, quod in pio testamento non attenditur, repellatur a ferendo testimonio, in testamentis.

156. *An vero esse possint testes omnes alii, qui solo jure civili, non item jure naturæ sunt inhabiles, controvertitur, et assertur sententia affirmativa.* — Num autem etiam alii testes, qui a solo jure civili ad ferendum testimonium in testamento sunt inhabiles, v. g. servi infames, etc. possint esse testes, major est difficultas. Ancharanus siquidem in c. *Cum esses.* 10. h. t. n. 6. Fagnanus, in idem c. eod. n. 35. et alii affirmative respondent, nec sine fundamento; quia cum communissima doctorum teneat, in testamentis ad causas piis aliam non exigi solemnitatem, quam quæ requiritur de jure naturæ et gentium, necessario sequitur, etiam servos, et infames esse posse testes: utpote qui de jure naturæ ad testimonium ferendum non sunt inhabiles. Idem in re sentire videtur Pirhing, h. t. n. 21. Imo fere communis aliorum, dum fœminam pro habili teste in testamento ad causam piam agnoscentes, hanc communiter assignant rationem; quod in hujusmodi testamento testis esse possit, quicumque de jure naturæ et gentium a ferendo testimonio non repellitur. Quo non obstante

157. *Eligitur sententia negativa: et quomodo?* — Resp. III. In casu, quo non nisi per testes de voluntate testatoris constare potest, etiam in testamento ad causas piis necessario (saltem pro foro externo) requiruntur duo testes legitimi de jure canonico, adeo ut inhabiles sint, non tantum qui de jure naturæ et gentium, sed etiam qui de jure canonico ad ferendum testimonium communiter, seu regulariter non admittuntur. Covarruvias, cap. XI. de *Testament.* n. 11. citans Carneum, consil. 166. vol. III. Patetque conclusio satis clare ex c. *Relatum.* 11. h. t. ubi expresse statuitur, ut testamenta ad piis causas in judicium deducta tractentur «requisitis duobus testibus legitimis secundum decreta,» et sacros canones. Ex quo sic argumentor: Vigore hujus c. *Relatum,* in testamento ad piis causas necessario requiruntur «duo testes legitimi secundum canones:» ergo qui secundum canones, seu de jure canonico non sunt testes legitimi, seu a testimonio ferendo communiter repelluntur, in testamento pio non sunt testes habiles seu legitimi. Videtur revera hoc argumentum efficax ut patet legenti et consideranti tex-